ORATIO
DE LAVDIBVS SERENISSIMI FERDINANDI MEDICIS
MAGNI DVCIS ETRVRIAE III.

Cosmo Mineruetto Authore.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1979

FLORENTIAE,
Apud Bartholomæum Sermartellium, & Fratres.
MDCIX.

SERENISSIMAE CHRISTIANAE LOTHARINGIAE

Magnę Duci Etruriæ.

T totius Christianę Reipublicæ mœroris ex Serenissimi FERDINANDI morte mihi ipsi, cęteriſq; quod possem leuamen afferrem, & ab eo collatorum in me beneficiorum viderer memoriam retinere, laudationem ipsius, quasi virtutum, rerumque gestarum imaginem pro viribus expressi, eamque vtraq; ex causa ad te defero; cum præscriptio Inclyti Nominis tui spiritum demortuo huic simulachro importet (Tu enim virtutum præstantia ipsi simillima, solaque in maximis rebus, quas ad omnium se-

culorum

culorum memoriam gessit, adiutrix, & comes) & quæ in me ex perenni illo beneficentiæ fonte fluxerunt, omnia per te, quasi per riuum, emanarint. Accipe igitur, & quemadmodum imperitum artificem corporis iconem non bene reddentem toleras, ita me in hoc lineamento Animi, qui multo difficilius effingi potest, excusa. Vale Florentia VI Kalendas Iunii MDCIX.

ORATIO
DE LAVDIBVS SERENISSIMI FERDINANDI MEDICIS
Magni Etruriæ Ducis III.

I optimo, & maximo Principi, maximis defuncto muneribus, qui post multa, & præclara pacis, & belli gesta facinora, in summa fœlicitate vitam expleuerit debitus honos, & pares laudes tribui possent, operę pretium esset, Auditores, omnes ingenij neruos intendere, ne memoriæ eius ingrati, nobisque in tanta calamitate parum consuluisse videremur. Sed ij, qui in summę fortunę fastigio collocati ita vixerunt, vt illos, & regno, & gloriæ, & vniuersæ reip. potius, quam sibi vixisse putandum sit, diuino magis quodam honore, & cultu, quam his vulgaribus laudationibus digni existimandi sunt, quæ potius mihi mœrentium animis mederi, dum audientes eos, tot laude dignos gessisse, cum mœrore, & luctu reuocant, quam immortalibus illis, aut fœlicitatem augere videantur, aut gloriam. Præterea Principis nostri res gestæ, tot, tantæq; sunt, vt nullum sit ingenii lumen, nulla dicendi tanta vis, tantaq; copia, quę eas, non dicam exornare, sed enarrare valeat. Quin etiam, ipse valde animo commoueor, cum vos tam frequentes con-

 uenisse

ueniſſe videam, ſudituros FERDINANDI laudes, voſq; arbitrer, nihil non amplum, omnia ex dignitate eius, & ex magnitudine rerum ab eo gestarum expectare, præſertim ex hoc amplissimo, & ornatissimo ad dicendum loco: admirabilem nempè illam animi magnitudinem, prudentiam, virtutem, fœlicitatem, generis splendorem, sanctissimæ dignitatis maiestatem, imperium, victorias, classes, trophæa, aliaq; omnia, quæ & ad Romanæ Ecclesiæ gesit vtilitatem, & ad huius imperij amplitudinẽ, quod à fratre optimo sane, & prudentissimo Principe validum acceperat, propriis tamen virtutibus auctaq; apud subiectas, & apud exteras nationes authoritate firmius, filio, validiusque reliquit. Quę omnia, sicut ab eo diuinitus excogitata, ita effecta sunt. Sed tantæ molis diuina fuerit illa mens capax, quam alii nulla cogitatione complecti valent. Sunt, sunt, enim in us, quos prępotens ille rerũ omnium arbiter Deus, sua prouidentia, gentium, & populorum reges destinauit, maiora quædam semina, igneſque flagrantiores virtutum, quibus excitati, aut inflammati animi eorum altissima quæq; concupiscunt, & ad ea diuina quadam virtute, & impulsu feruntur, quæ captum, cogitationesq; nostras effugiunt. Qui ignes, licet, in nonnullorum principum animis æstuante libidine, aliisque immoderatis cupiditatibus, sæpius, extinguantur, siue culpa eorum, siue quòd ad hoc potissimum in ea fortuna nati sint, vt per eos tradin populi scelera, diuina vlciscatur iustitia; In FERDINANDO nunquam extincti: sed primum optima educatione, & diligentissima optimorum parentum cura, dein proprio studio, validiores semper effecti sunt, animusq; eius à primis incunabulis laudis, & immortalitatis amore flagrauit. Namq; licet, in summa rerum omnium licentia natus esset, seq; in altissimo fortunæ, & dignitatis gradu positum intueretur, nunquam tamen a recta deflexit, at

semper

semper in omnibus factis, dictisq; se alligatum legibus Principem profitebatur. Regnum, sobolem, victorias fœlicitatem, quæ eum semper est in vita comitata, non inflatus, vt propria bona agnoscebat, sed Deo cuncta accepta referebat, & pro iis, vt ab eo datis gratias summa animi demissione agebat. Cuius rei, nos omnes testes sumus, qui eum, quoties, vel auctum filio audiuimus, vel ei nuncium allatum, suas legiones in Pannonia prosperi aliquid pro Catholica Religione gessisse, vel classe, vrbes in Asia, aut in Affrica expugnatas, arcesq; immanis, & teterrimi illius Tyranni direptas, & inflammatas, toties Deiparæ Virginis aræ aduolutum, ad eiusq; sanctissimum, & augustissimum templum supplicantem vidimus. Vbi quot precibus superos obtestatum impetrasse creditis? vt populos sibi commissos, ea, quæ iustum Regem decebat, pietate regeret, filios, sospites, & adultos relinqueret, damnaq;, quæ per tot annos a sæuissima illa Turcarum colluuie passa est Christiana resp. per se potissimum vlcisceretur, potentissimus, idemque iustissimus vltionum Dominus? Hinc illi, Auditores, omnia prospera, & ad votum succedebant; hinc illi venti, tempestatesq; in summo classis suę discrimine obsecundarunt: hinc ille, quę alijs ardua & difficilia videbantur, non minus, diuino fultus fauore, quam suo consilio, ad exitum felicissime perduxit. Hinc illo imperante, nos quoque eius exemplo edocti pietatē colere didicimus, ideo fœlicissime egimus summa tranquillitate, & otio perfruentes; nec non ipse in multa fœlicitate, quā nemo mortalis audeat optare, naturæ concessit. Quæ igitur ille summa, præclaraq; effecerit, non ex eorum magnitudine, sed ex ingenii mei tenuitate audietis, eaq; vobis proponam, vt, cum eius facta immortalitate digna vobis in memoriam reuocauero, illum, nequaquam mortuum putetis, sed hanc breuem, & miseriis obnoxiam vitam, cum alia immortali, & beatis-

sima commutasse. Et hic licet, non amplius viuat vitam quę corpore, & spiritu continetur, eius tamen, vel hic perpetua vita erit, quæ vigebit memoria temporum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa semper æternitas intuebitur. Multa summo Principi ineste oportere, quibus remp. recte administrare, eamque fœlicissimam constituere possit, existimant omnes; sed alia aliis videntur, dum suis cupiditatibus obnoxij, quem ipsi cupiunt, regem optimum prædicant, illumq; dignum esse, qui non Prouinciæ, vel Regno, sed omnibus pene nationibus imperet. Nam fortes viri, & qui armis omnia tribuunt, illum regno dignum iudicant, qui nulla iusti, & æqui habita ratione, aliena inuadat, idque in summa fortuna æquius, quod validius putet, aiuntque non iustitia, & probitate, sed vi, & armis Imperia retineri, neque satis esse, si re ab inferendis iniuriis abstineas, nisi cæteri quoque idem erga te efficiant: quod frustra se assecuturum speret is, qui per legitimos tramites incedens, calumniantium solum iniurias expellat, non autem se proprijs armis muniuerit, plurima, & difficilia bella confecerit, victorias, regnaque adeptus, non se aliis Regibus fortem, & fœlicem probauerit, Mortales etenim, non quem probum, sed quem fortem existimant, cauere, neque illos edisse, referre, dum metuant. Nonnulli etiam sunt, qui dum immoderatas cupiditates suas ad leges nequeunt dirigere, leges ad cupiditates suas detorqueri volunt, & propterea Regem commendant, qui inter potentem, & inopem discrimen noscat, quasi illis arduum, & indecorum sit, in tot humanis erroribus, sola innocentia viuere, & illa Romanę iuuentutis in ore verba habent, Regem hominem esse, à quo impetres, vbi ius, vbi iniuria opus sit; esse gratiæ locum, esse beneficio, & irasci, & ignoscere debere. Alij, quibus melior mens est, iusti, & æqui custodem Principem statuunt, eique gladij potestatem,

vt in facinorosos homines animaduertat, tribuunt, nõ autem, vt homines quemadmodum feras venetur, verèque gloriæ appetentem iudicant, non qui aliena cupiens, orbem terrarũ misceat, sed qui pacis, & populorum quieris studio, præpotentem illum Regem imitetur, qui summa tranquillitate, cœlestes orbes moderatur, naturamque vniuersam, contrarijs inter se iunctam legibus, serenitate suæ mentis exornat. Sed FERDINANDVS, superiorum impias voces, & consilia aspernatus, maiestatem suam legibus, & iustitia armare statuit, neque propterea militiam neglexit, vt pote qui sciebat summam reipublicæ defensionem, exstirpe duarum rerum prouenire, armorum scilicet, atque legum, vimque suam exinde munire; istorum etenim alterum alterius auxilio semper indiguit, & ram militaris res legibus in tuto collocata est, quam ipsæ leges armorum præsidio seruatæ. Leges, enim subiectos in officio continent, dum bonis præmia, facinorosis pœnas statuunt, innocentes, atque iniuriæ expositos, a diris monstris, quæ toties immoderatè gignunt hominum cupiditates, defendunt, & custodiunt. Præsertim si is, qui supra illas est, potestate abeis recedendi non abutatur, sed firmas, & inuiolatas custodiat, nisi quando æquitas, quæ legis mens est, contrarium aperte suadere videatur; magna enim imperia, non adamantinis vinculis, vt Syracusanus ille Dyonisius censebat, retinentur, sed Iustitia constanti, & perpetua, quæ ius suum vnicuique tribuat, & sceleri vltionem, virtuti præmium largiatur. Leges igitur, imperia, & resp. conseruant, arma leges tuentur, nec solum eas vltore gladio armant, in facinorosos Ciues, sed Principis maiestatem apud subiectas, & apud exteras nationes decorant, atque illi existimationem pariunt, & authoritatem, Tum præcipuè cum ijs, non ad prolatandos per iniuriam imperij fines vtatur, sed ad Barbaros exterminandos, Archipira-

tas

tas persequendos, seque sceterum victorem ciuibus, Barbaris, & impijs hominibus hostem implacabilem profiteatur. Hic Regno, & omni humano fastigio dignus existimandus, Auditores, qui duas illas regias virtutes toto animo amplexus, Iustitiam scilicet, & fortitudinem, & hostibus formidabilem, Ciuibus verendum præbuerit; & ità ad summæ gloriæ culmen peruenerit, ad quod pauci mortales ascenderũt: siquidem Gloria nihil aliud est, quam illustris, ac peruagata multorum, & maximorum, vel in suos Ciues, vel in Patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Quam nequaquam assecuti dicantur ij, qui de alienis certare regiam laudem duxerunt, vt immanis ille Annibal, cuius tantas virtutes ingentia vitia æquarunt, cum eius fuerit inhumana crudelitas, perfidia plusquam punica, nihil veri, nihil sancti habuerit: Neque immortalis ille Hunnorum Rex Attila, immò vecors potius, qui morte & excidio tot innocentium populorum se immortalitatem adepturum speravit. Et quis vestrum, Auditores, Philippo illi Macedonum Regi, maximo quidem, & fortissimo, non præferat Agesilaum Lacedemonium? Ille fraude, & bella bellis ferendo, ex parua magnam Macedoniam effecit; Græcorumque libertati imminens, plures in suam ditionem redegit, modò hanc, modò illam euertens Ciuitatem; at hic Barbarorum tantum hostis, Græcos non minus, quam Lacones dilexit Spartamque dimonẽ, si vi fraude, & iniuria, non auxit, iusto sæpe bello defendit, feliciorem-que effecit. Immortalis igitur ille, cuius præclara in Græciam omnem merita ad nostram vsque ætatem peruenerunt, immortalis, & in æterna sit gloria Ferdinandvs, cuius in Italiam, & in vniuersam christianorum remp. diuina, & immortalia fuerunt beneficia, vt dies me deficeret, si omnia vobis percenserem. Idem iustus, & fortis, dum legibus turbidos ciues, armis Barbaros coercuit,

cuit, ita vt vno, eodemque ictu, vos Principem optimũ, Etruria, columen, Italia, ornamentum, & Christiana Resp. non mediocre præsidium amiserit. Quamobrem Diuina sapientia, cum illum Principem destinasset, per quem plurima bona conficeret, quæ vnicuique secundum propriam tribuit naturam, omnia disponit suauiter, illum maximis fortunæ & naturæ muneribus exornauit, quæ omnia ab ea, vt ab inexhausto fœlicitatis fõte emanarũt; Ego tria, in summo Principe inesse oportere existimo, Fœlicitatem, Prudentiam, & Existimationem, siue Authoritatem, quæ an in FERDINANDO fuerint vos omnes scitis, & nulla regio est, tam ab Italia remota, nulla gens tam barbara, nullus tam rerum humanarum ignarus viuit, qui nesciat hæc in illo summa, & præclara fuisse. Vnde Auditores in tanto omnium bonorum luctu, & mœstitia, hæc solatij aura mihi animum recreare videtur, quòd ea dicturus sum, quorum vos in primis, sed quid dicam vos? ea sum dicturus, quorum vrbes omnes, prouinciæ, regna, terræ, maria, reges potentissimi, fortissimæ nationes, conscię sunt, & testes, vt mihi non fides dictis, non copia rerum, sed tantummodo in dicendo modus quærendus sit. Primum de fœlicitate eius, vt de re quæ non sit in nostra potestate pauca verba faciam, Cum tantus sit FERDINANDI splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, & consilij dignitas, tantũ cęterarum eius virtutum mihi lumen oboriatur, vt hæc solũ eius propria bona, & a natura prætecta, fœlicitas verò mihi illi à fortuna commodata videatur; sit eius in hoc vna laus, quod acrioribus stimulis, quibus illa Regum animos explorat, non succubuerit, illum non dominatio, non rerum omnium summa potestas corruperit, inflexeritque, neque alia de causa à nobis recenseatur: difficilius enim est fœlicitati, quam aduersæ fortunæ resistere, nam miserias quomodocunque toleramus, fœlicitate corrumpimur; Neque nunc

fœlicitas animi opus à perfecta virtute ortum ex Philo
sophorum sententia intelligatur, sed potius prosperitas,
& fortuna, quæ externa quædam causa est, nec in nostra
posita potestate, quæ nobis maximarum rerum opportu
nitates offert, eaque fauente, cuncta, quæ aggredimur,
magna facilitate, & nescio quo impellente, explicamus,
& ad exitum perducimus. Idcirco solum fortunati viri
commendentur, si quæ benigne fortuna præbuerit, arri-
piant, neque ignauia seu socordia rerum momenta præ-
terire sinant, ne vè illis bene gerendæ reip. occasiones de
manibus elabantur: Quæ fœlicitas quantum ad regna &
imperia continenda Principibus viris necessaria sit, ne-
mo est, qui ignoret, & iure ambigitur, vtrum virtus, an
fortuna Romanos illos rerum dominos effecerit. Ma-
gna fuit hæc in FERDINANDO fœlicitas, statimque in
eius ortu eluxit; Siquidem nonnulli sunt, qui claro Pa-
tre oriuntur, tamen suis suboscuris, alij omnibus naturæ
bonis referti, quibus multa, præclaraque agenda sunt,
nullo neque parentum, neque domus splendore illustran
tur. At FERDINANDO clarissima Domus fuit, magni aut,
maximus Pater, latum imperium, vt difficile sit æstimare,
quod potissimum inter hæc fortunæ bona, præclarius,
fuerit, atque excellentius. Domus enim præclarissima
est, in eaque semper, quemadmodum notissimum vobis
est, Summi viri floruerunt, prudentia & armis, vt Cos-
mus ille pater patriæ Florentinæ reip lumen, cuius im-
perij fines protulit, & Laurentius nepos, prudentia, huic
patriæ, Italiæ, & Christianæ reip. laudandos, Barbaris
quoque, & exteris nationibus admirandus; Nam maxi-
mi orientis Reges eius amicitiam legatis, & muneribus
efflagitarunt, illumque, non vt Florentinæ reip. virum
Principem, sed tanquam Regem potentissimum coluer-
unt: Etenim virtus illius, non patriæ mœnibus, non hu
ius prouinciæ finibus se continebat, sed longè lateque lu-

cis

tis ſuę radios effundebat, Italiamque omnem conſilio regebat, & authoritate, cum ad eius ſapientiam, ſicut ad Oraculum quoddam, ſummi Pontifices, Reges prudentiſſimi in rebus arduis confugerent, & ab eius monitis, tanquam à diuino quodam viro datis, non recederent: tantam exiſtimationem duplici medio eſt adeptus, pietate in Deum, beneficentia in homines, quibus virtutibus, ipſe, & Coſmus in Patria & in Italia præcęteris floruerunt, Mediceamque familiam ad illud imperii, & gloriæ culmen extulerunt, vt ex es, non vnus, aut alter, ſed quatuor ſummi Pontifices prodierint; inter quos Leo ille, cuius liberalitate ſeu potius magnificentia ſtudia, & liberales artes poſt longa exilia in Italiam tandẽ reuerterunt, omniſq; barbaries abut eaulatũ. Quas artes inopia, & egeſtate confectas, & iam exilium meditantes ſecundus Leo eadem liberalitate recreaſſet, retinuiſſetq; ſed immatura morte præreptus, hęc, multaque alia non inchoauit, quę illum effecturum fuiſſe mortalium animi, non fruſtra diuinaſſent. Non ſummum, & cœlo proximum dignitatis, atque amplitudinis faſtigium ſolum hanc domum toties illuſtrauit, ſed duæ lectiſſimæ Chriſtianiſſimorum Regum matres, fortiſſimi exercituum Ductores, magni Principes, maximi, ne dum, magni Duces, tantam illi dignitatem attulerunt, vt eius affinitatem ſummi orbis Chriſtiani Principes ſibi honeſtam, & pulcherrimam duxerint. Sed inter omnes, neſcio quomodo micat, & maiori quodam lumine (ſicut inter ignes Luna minores) effulget, mihique mentis aciem obſtringit ille Coſmus huius imperij fundator, qui maiorum virtutes æmulatus, illas non ſolum æquauit, ſed longè ſuperauit, cuius in Deum tanta fuit pietas, vt eam ſummi & ſanctiſſimi Pontifices in terris corona donarint, quam mox in ſuo Regno Deus immortali corona glorię decoraret, tanta felicitas, vt ex priuato princeps pa-

 triæ,

triæ, non vi, non fraude, sed liberis Ciuum suffragiis renunciaretur, tanta animi virtus, vt hostes omnes, & rebelles domuerit, imperium auxerit, Etruriam armis, & iustitia subiecerit, sapientissimis institutis composuerit, Italiam, vniuersamque Christianam remp. consilio, & opibus iuuerit. armis defenderit. Magna quidem, & præclara fœlicitas, Auditores, in summo loco nasci, in tanto maiorum splendore, qui te apud omnes mortales commendet, tot gloriæ domesticæ exemplis abundare, quæ dormientem excitare possint, currentem impellere, sed longe maior clarissimo parente oriri, cuius gloria nulla maior reperiatur, illumque non tantum, oris maiestate, sed fortuna, Prudentia, Magnanimitate, omnibus aliis regijs virtutibus referre. Maxima autem fœlicitas illam regendam sibi a Deo prouinciam mandari, quæ opibus abundet, populorum, oppidorum, & vrbium, frequentia polleat, quæque certissima vectigalia, maximos redditus, quot annis tribuat, quibus, & bellum alere, & pacis dignitatem sustinere possis; siquidem Etruria, ea est prouincia, Auditores, quæ & vetustatum rerum maiestate, & præsentium gloria reliquas Italiæ prouincias excellit, quæ fortissimis populis frequentissimè colitur, quorum potentia non Italiæ terminis clausa, sed vsque in Orientem transgressa est, quorum virtus, terra, marique potens olim multa, difficilia-que bella confecit, clarissimasque victorias reportauit, nunc autem fortissimis arcibus, tutissimis portibus, pulcherrimis vrbibus munita est, vt hanc Italiæ totius florem, arcem, & firmamentum non pauci solcant appellare, quorum sententiã secutus videtur etiam magnus, ille Mediolani Dux, Ioannes Galeatus inquam, qui toti Italiæ minitans, hanc primum aggressus est, vt ea ad vniuersæ Italiæ imperium gradum faceret, quasi Etruria in potestatem redacta, facilis de reliquo victoria esset; ideo

regia

regia insignia, & Italiæ Regis nomen in hac patria assumere decreuerat, innuens Florentia subacta, nullum obicem sibi relinqui, quin ad tantum imperium, & ad tantas opes ascenderet; neque tam ingenti spe frustratus esset, nisi admirabilis maiorum vestrorum virtus, & fortuna, & huius fortissimæ prouinciæ robur, inustis conatibus obstitisset: Cosmo igitur tam potentis, & splendidæ prouinciæ moderatore, & Heleonora Toletana, Petri Hispanorum Principum nobilissimi filia, (qui pro Carolo V. Imp. regno Neapolitano summa virtute præfuit, & Cæsaris exercituum in Italia imperium habuit) virilis animi, & omni virtutum genere ornatissima muliere ortus est FERDINANDVS, non tamen spei summæ proximus, nam plures antea filios Cosmus susceperat, Quamobrem hic quoq; mihi FERDINANDI fœlicitatem admirari libet. quæ, cum nemo illum ad fortunam imperij natum crederet, statim atque ortus est, venturæ eius magnitudinis signa demõstrauit, quibus plures, quasi diuinantes illũ & rerũ quandoq; potiturũ, & inter Cosmi filios maximum fore affirmabant: magnum quoq; fœlicitatis beneficium arbitror, eo potissimum loco nasci, vt ipse prius alijs obtemperando imperare disceret, & licet in summo loco positus, tamen absque imperio multarum rerum, hominumque facilius notitiam perciperet, quibus postea princeps prudentior eusderet: etenim ũ optimum pulcherrimumque bonarum, malarumque rerum delectum esse, senex ille Cæsar aiebat cogitare te in summa potestate, quid sub alio principe volueris, aut nolueris, quanto magis te priuatum alio imperante, quæ fugienda, & quæ sectanda sint edoceri? hanc tantam fortunæ largitatem natura quoque æmulata est, nanque illi pulchra, & decora facies, acumen ingenii, & mira quædam in illa ætate quæ nihil loqui, nihil cogitare valet, nisi ludicrum, & inane

grauitas inerat, quæ illum parentibus vita chariorem; gratum fratribus conctis admirabilem efficeret; quamobrem prudentissimi parentes, illum maxima diligentia educandum, optimis præceptis instruendum curarunt, quasi diuinitàtes fore, vti eo potissimum imperij, & tantę domus spes inniteretur; nã illa indolea apparebat; tot signa in eo ætatis virtutum, & prudentiæ elucebant, vt, si tantæ naturæ benignitati ars quædam adiungeretur, omnes sperarent, ex eo, nescio, quid, præclarum, ac singulare bonum ipsis, Patriæ, Italiæ, & christianę reip. futurum. Illo igitur sanctissimæ Parentis regali in Domo disciplina educto, inter tot gloriæ domesticæ exempla, inter victorias, & clarissimos Patris triumphos, quid eius animo, non eo fastigio dignum, insedit, coaluitque cum ad naturam illam eximiam, atque illustrem accesserit, tam optima ratio, conformatioque disciplinæ? Vix igitur pueritiæ terminos egressum Pius IIII. summus Pontifex in amplissimum Cardinalium Collegium cooptauit, vt spes, de Ioanne fratre concepta, & vna cum ipso extincta, in FERDINANDO reuiuiscceret, & in tanto dignitatis culmine posita Romanæ Ecclesię, & Christiano orbi prodesset. Quæ spes prudentissimum Pontificem de eo, nequaquam fefellit; nam statim, ac in illo sanctissimo, grauissimoque orbis terræ consilio eius virtus eluxit, prudentia, morum honestas, animi magnitudo, cęteteræque regiæ virtutes cognitæ sunt. patefactum est omnibus, femina illa, quæ in Principum animos à diuina liberalitate inseruntur, & comprehendere facilius, & citius adolescere; neque in illis virtutem annos expectare: nam sæpe ille in sacro Senatu, quoties de re graui sententiæ dicendæ erant, sapientissimos grauissimosque senes superauit, & sępe protulit ea, quę ipsi dicere in animo habebant, vt in ea ætatis immaturitate tanta mentis, & consilij maturitas diuinum potius quiddam, quam humanum

manum videretur: nunquam ſenatus habebatur, in quo ille ſtatim non adeſſet, & quoties de reip. rebus conſilium capiendum eſſet, eius ſententia exquirebatur, quæ ſemper plena dignitatis, plena conſilij, & prudentiæ prodibat. Nunquam illum proprius amor inflexit, vt ab inſtituto ſuæ vitæ curſu dimoueretur, non voluptas à negocijs, non rerum affluentia ab officio, non fortuna à beneficentia retardarunt. Optime perſpiciebat omnem noſtram vim in animo, & corpore ſitam eſſe, animum proprium hominis bonum, eiuſque immortalia facinora, corpus nobis cum bellua comune eſſe, animiq; vim duplicem, ſiue enim ille diuina, & cœleſtia contemplans naturæ, & rerum fœdera intuetur, ſummaque defixus cogitatione cœli curſua, ſyderum qualitates, & cauſas omnes, quibus rerum parens natura conſiſtit, perſcrutatur, diuinęque proximus menti ſumma fruitur voluptate, ſiue rerum viciſſitudinem, orbeſque, & varios fortunę caſus, euentuſque conſiderans præterita addiſcit, futura, quæque ſibi, patriæ, & reip. ſint vtilia prouidet, ſęque ſapientia exornat, aut Prudentia, duabus diuinis pulcherrimiſque virtutibus, altera, quæ diuina & cœleſtia contemplatur, altera, quę humana, & inferiora conſiderat. Hanc vt Principe viro dignam amplexus eſt Ferdinandvs, cum ſciret ſibi in ea dignitate poſito, humana eſſe curanda, ſuoq, ſicut cæterorũ patrũ conſilio inniti Romanã Eccleſiã, & Chriſtianũ orbem, ſeque in excelſa Eccleſiæ ſpecula propterea à Deo conſtitutum, vt vnà cum eius Principe vigilaret ad concordiam, & religionem omnium populorum, & Italię ſecuritatem, vnde virtuti illi præcęteris ſibi incumbendum agnoſcebat, quę bene conſulere, & prouidere poſſit, omnia, & ſingula, quæ regna, imperiaq; conſeruent, reſp. tueantur, vel infringere, ſeù labefactare poſſint. Suas eſſe partes profitebatur, mortalibus omnibus prodeſſe, bonis fauere,

vitia coercere, virtutes intendere, studia, & ingenia excitare. Præsertim cum se à natura, ad hanc præclarissimam virtutem formatum videret; inerat enim illi acris quædam vis ad omnia cognoscenda, quæ fieri debeant, mediaq; adinuenienda, quibus perfici, & expediri ardua, & difficilia possent, necnon ingenti lumen, quo verum indagaret, & cognosceret, inanesq; aliorum opiniones, & à vero aberrantes, coargueret, atque refelleret. Inerat illi quoque decora quædam oris venustas, quæ virtutem gratiorem efficit; ita vt lepores omnes, gratiaq; eius ore consedisse dixeris, neque desiderabatur grauis, & quę Principem deceret eloquentia, qua posset abditos mentis sensus expromere, in animos aliorum imprimere, atq; illos quò vellet, traducere. Cum igitur, tot naturę bonis, magna multarum, variarumq; rerum experientia adiungeretur, quæ in illa vrbe, omnium, quæ in orbe terrarum aguntur gnara, principibus viris suppetit, breui ad tantam prudentię famam peruenit, vt inter sapientissimos, & prudentissimos senes ipse adolescens prudentissimus haberetur. Summa erat eius apud summos Pontifices fides, in sacro collegio authoritas, apud omnes nationes, & mortales fama. Pius IIII. illum vnicè dilexit, opibus, & honoribus auxit, nec non Pij V, Gregorij XIII, & Xysti V. Pontificum summi erga eum amoris, beneuolentiæq; indicia extitere. Pius V. summus, & sanctissimus Pontifex præ aliis honorabat; nam omnes, qui ab eo aliquid cupiebant, se Cardinalis Medicei precibus commendabant, & eius gratissima erat apud Pontificem authoritas, qui omnia, quæ per illum peterentur, concedebat, sciens nihil indignum, & iniquum ab eo posse efflagitari. Quantum verò Gregorius XIII. illius voluntati, & authoritati deferret, multis in rebus declarauit, tum præcipuè, cum eius precibus Alexandrũ Medicem, qui postea ad Pon-

tificatus

tificatus apicem peruenit, Cardinalem renunciauit. Xystus V. Cardinalem, & magnum Ducem in summo semper honore habuit, & eius intuitu Franciscum Mariam Borbonium in Cardinalium ordinem cooptauit. Quanta autem in sacro Senatu eius fuerit authoritas in rebus omnibus, tum in sacris comitiis, quę de summo Pontifice eligendo haberentur, declaratum est, nam ad illam summam dignitatem obtinendam Cardinalis Medicei suffragium maximo adiumento erat, non fortuna, qua cæteros eminebat, sed animi virtute, qua simulante illis præcipuè fauebat, qui summis, præclarisq; virtutibus, ornatissimi, maximeq; idonei essent, quibus regimen illud in diuinis, humanisq; rebus summum crederetur. Hinc effectum est, vt ex eius sententia reliquorum omnium penderent cum sibi iure persuasissent, optimũ quemq; à FERDINANDO eligi. Prudentiam non solum virtutem esse sed eius reliquas, omnes administras, comitesq; virtutes, sapientes tradidere, quod non frustra fuisse in FERDINANDO perspeximus; siquidem ipse alta semper, & summa appetijt, cũq; se in summo loco positum intueretur, eo digna fastigio semper egit, cogitauitq;. Cardinalis, & Principis partes agnoscebat, catholicam fidem puram & integram, omni labore, & studio conseruandam, tuendamq; suscipere, artes, & studia fouere, ingenia præmijs excitare. Hinc orta est diuina, & christiano Principe digna liberalitas, curare, vt Religionis nostræ dogmata pura, & à Syncero fonte exhausta, in totum orbem emanarent. Nanq; inter multas christiani orbis nationes Aethiopum vna est Auditores, quæ populorum multitudine, & potentia, & regionum varietate magna pars censenda est christianæ reip. In hac à Candacis illo Eunuco euangelij lux primum ostensa, dein à Matheo Apostolo irradiata, populis illis diu, syncereq; illuxit; sed multis postea in clarissimo illo

oriente

oriente ortis tenebris, quę sacræ scripturæ radiis illustrantur, peruersi homines, vt pestiferum virus facilius in teneros animos euomerent, sacras literas corruperunt, illasque p rauis interpretationibus congruentes edidere. Vnde Alexandrina, cui Æthiopia cuncta subest, Antiochena, & Armeniorum Ecclesia lumina quondam orthodoxorum vetus, & nouum testamentum nostræ salutis monumenta (puros, inquam fontes, vnde puræ, neque infectæ pietatis aquæ exhauriuntur) tum incuria hominum, tum peruersitate impiorum depravata habebant: vnde Cæcæ ipsæ cæcum ducem habentes, quid mirum, si in certum ruerent exitium? Horum omnium misertus FERDINANDVS, magnis sumptibus viros Hebraicę, Caldeæ, Græcæ, & Arabicæ linguæ peritos, ex omnibus terrarum partibus conduxit, & sacram scripturam Arabicis literis imprimendam curauit, non falsis locutionibus infectam, sed puram ex purissimo Romanæ veritatis fonte depromptam, eamq; diuulgari in Africa, & in Asia iussit; vt inculta illa Catholicorum germina, eodem saluos imbre irrigarentur, quo patres eorum ab Apostolis primum aspersi, irrigatiq, sunt, atque ita lucem à tenebris, verum à falso discernerent. Propterea legauit Ioannem Baptistam Vecchiettum ad Reges illarum gentium, qui muneribus animos eorum ad hoc pulcherrimum, sanctissimumq; facinus sibi conciliaret, atque in illos populos thesauros veritatis longe, lateque disseminaret. O verum Romanę Ecclesiæ columen, ò firmum, fortemque cardinem, quo Christi Ecclesia innixa fuerit, ò labores, ò conatus, omnium hominum linguis, omnium gentium literis prædicandos, celebrandosque, quibus tenebræ, errores q; populorum, ceù nebulæ à Sole dissecti, Christi fides, & Romanæ Ecclesiæ puritas, tot gentibus, tot nationibus declarata, atque ostensa est. Opibus etiam, Græcos, Germanos, Anglos,

qui

qui ad collegia Romanæ religionis arces confugiebant, vt catholicos, & patrios mores tetinerent, largissimè iuuabat; ita, vt ambigeretur, vera laus liberalitatis, an pietatis in illo amplior esset. Artes, & studia fouit, nam eruditos viros, & quascunque arte, seù scientia excellentes, maximis propositis præmiis, in aulam suam euocabat, honoribus, & diuitiis cumulabat. Inter quos fuit Petrus Angelius, Poeta egregius, cuius opera, & præsertim Epicum illud Poema, quo Christianorum Principum res in Asia quondã gestæ extolluntur, FADINAM deo acceptum referre debemus, cum Angelius, vt ipsemet testatur, tanti Principis opera, & liberalitate impulsus, in eius potissimum gratiam composuerit, illudque postea iussus ediderit. Magnificentia quoque in templis, & ædibus exornandis manifestata est, & præcipuè cum regni initio Lateranensi Basilicæ splendida dona misit, profectò digna maiestate templi, eius magnificentia, & Etruriæ imperio. Aedes signis, & antiquis simulachris cõspicuæ videbantur, atque in illis liberalitatem, magnificentiam, regiasq; omnes virtutes sedem posuisse dixeris, omnes qui ad eas confugiebant, quibus ex propriis virtutibus spes aliqua inesset, fortunæ, & miseriarum portum inuenisse rebantur. Quæ omnia adeo vobis nota, & testata esse arbitror, vt probatione non indigeant, cum fama harum virtutum, non Romæ modo & in hac prouincia, sed in toto propemodum orbe notissima sit. Multi sermones de eius prudentia, magnanimitate, & liberalitate, Romæ, & vbique habebãtur, vt beati omnibus viderentur ij, qui in eius aula versarẽtur, qui tantarum virtutum nõ famam audirent, sed cũ eo affari, eius vultum, & os intueri possent. Nam tanta, Auditores, est vis virtutis, vt cum aliquid sapienter, & præclarè factum, vel audiuimus, vel legimus magno studio incitemur, vt sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus,

summisq; laudibus efferamus. Hic vnus est fructus à summis Principibus insatiabiliter expetendus, clarum esse omnibus, bene de rep. mereri, optime apud mortales omnes audire, laudari, coli, diligi: Hunc qui percipiunt, beatissimi mihi, & felicissimi inter mortales videntur. Hoc igitur vberrimo, suauissimoq; suarum virtutum fructu Romæ fruebatur FERDINANDVS, & in toto terrarum orbe, nomen eius, famaq; celebrabatur; cum ad imperium Francisci fratris obitu, summa bonorum omnium lætitia euocatur. Hic mihi (Poetarum more) aliquod Nestoreum ingenium optandum esset, Auditores, vt, quanto amplior laudium materia se se offert, tanto vberior mea flueret oratio, quæ verborum, & sententiarum pondere, rerum, quas dicturus sum, maiestatem, & dignitatem æquaret. Sed vt initio dixi, nullum est ingenium, nulla dicendi, neque vis, neque copia, quæ eas æquare, & assequi valeat: Proprio etenim ipsæ splendore coruscant, vt nullis eloquentiæ explicari, nullo mentis acumine comprehendi possint. Quamobrem peto à vobis, vt me vestræ benignitatis aura, quasi per profundum euntem subleueris, meq; attentè, & benignè, vt facitis, audiatis, latiorem etenim campum mihi nunc ingreditur, quo excurrat, oratio; regiæ mihi explicandæ sunt artes, quibus FERDINANDVS imperium rexit, pacemq; sibi honestam, populis fructuosam conseruauit, vitia repressit, bonis fauendo, in scelestos homines leges exercendo, barbaros, & impios christiani nominis hostes magnis, & instructis classibus, & fortissimis militibus, vbiq; terrarum persequendo: quibus mediis imperia, & regna Principes tuentur, & ad veræ gloriæ apicem perueniunt. Cum primum igitur regnum auspicatus est, quæ fuit (bone Deus) totius prouinciæ alacritas, quæ vrbium gaudia, qui omnium ordinum, omnium ætatum ad regiam ciuitatem concursus, quæ

omnium

omnium hominum lætitia, qui cum illũ videbant, vocibus, manu, nutu, lacrimis, gaudio emanantibus, fauſtis vndiq; acclamationibus perſonantibus, illum venerabantur, & conceptam, & foras erumpere geſtientem lætitiam, oſtendebant. O verè fortunatum Principem, cuius ex imperio non minor ad alios omnes, quam ad illũ lætitia peruenerit. Neq; tantam gloriam, præclariſſimamq; ſpem ex aliena inuidia adeptum putetis, fuit enĩ Franciſcus Frater rebus geſtis clariſſimus, magnaq, ſemper in principatu, & præclara egit, quamobrem nulla maior tribui FERDINANDO laus poteſt, quã glorioſiſſimi Principis gloriam ſuperaſſe, & ſpe de ipſo concepta, defuncti deſiderium in omnibus fuiſſe lenitum. Omnes Italię Principes legationibus illi gratulabantur, & vniuerſa Etruria, tam tum ſpe, & votis, maxima, quæ poſtea ex eius principatu bona euenerunt, augurabatur. Infinita etenim ſeditioſorum hominum multitudo in omnem Italiam innocẽtium ſpoliis onuſta, & ſanguine cruenta, graſſabatur, Flaminiam, Picenum, Campaniam, & omnem Pontificiam ditionem, incendiis, flagitiis, & cędibus complebant; ita vt Etruriam illi conterminam huiuſmodi flamma inhaderet, corriperetque. Non patrimonia ab auaritia, non coniugum, & filiorum corpora à libidine, non vita ab immanitate tuta erat. Neque Agreſtes modò vexabant, ſed villas, & oppida diripiebant; prouinciaſque cædibus, & flagitiis perdebant. Et quanquam potentiores principes multis copiis comparatis, eorum audaciam refrenare, & ſupplicijs peſtem illam exterminare conarentur, nihil tamen proficiebant, cum tetra illa perditorum hominum colluuies, velut Hydra immanis plura ſemper capita emitteret, & modò hac, modò illac incurſando, principum potentiam, & fortiſſimorum militum virtutem eluderet. At cum FERDINANDVS regni habenas ſuſcepiſ

se audierunt, incredibile est, quantum audaciæ remiserint, animoq, fracti, debilitatiq, fuerint; animaduertebant enim nullum locum fore amplius tam abditum, quo confugere, nullam vim tam validam, qua se contra potentissimi, & acerrimi scelerum vltoris potentiam munire possent. Se autem non frustra timuisse, statim senserunt, nanq; ille iunctis vna cum Pontifice viribus, breui Camilli Borbonii peditum præfecti ductu, ita perditorum hominum vires attriuit, & audaciam sumpto de ducibus supplicio repressit, vt nos tetra illa peste tandem liberauerit, securitatisq; lux aliquandò effulserit. Neque Etruria tantum, sed Flaminia, Picenum, & omnis Pontificia ditio ab impura illa hominum, fœdaq; crudelitate ereptæ sunt, innocentium vitam & patrimonia potentissimi Principis virtus, & potentia tutata est. Eadem eius seuerita in puniendis subiectorum flagitiis commendetur; cum Princeps iusti, & æqui custos, vitia coercere pœnis, & virtutes præmiis excitare debeat. Quamobrem ille sapientissimorum, & optimorum iureconsultorum scientia, & eorum, quos à secretis habuit, fide, & diligentia fultus, nullum scelus impunitum, tot quibus regnauit annis, reliquit. Nullus latro, nullus sicarius, nullus iuuentutis corruptor, nullus impius, nullus denique impurus, & facinorosus hõmo in Etruria repertus est, quin scelerum suorum pœnas luerit, & cuius exemplo cæterorum non sint repressa facinora. Hinc orta est tanta in hac vrbe, & in omni Etruria securitas, vt hinc scelera omnia exulasse, securitatem, fidem huc commigrasse dixeris. Quamuis pacis studiosus præcæteris FERDINANDVS fuerit, nõ tamen militiam neglexit, sed in eo belli, pacisq; curæ, neq; est vnquam in pace belli oblitus. Militum enim delectum quot annis habuit, qui in armis parati, & expediti, a peritis ducibus hostem ferire, se defendere, (imagine

quadam

quadam belli) edocerentur, iaculandi, & feriendi hostes artem callerent, bellorumq; simulachra edocti vera postea prælia non pertimescerent. Quæ curæ an Principe viro dignæ sint, testantur qui Philopoemonem, Achæorum Principem summis, propriisq; laudibus ornant, quòd in pace semper de bello cogitauerit. Non solum fictas pugnas milites suos edocuit, sed veri quoque belli discrimine eorum virtutes expertus est; & cum sciret meritò ab omnibus magnum Principem haberi, qui terra, mariq; potens sit, ex scriptis militibus nonnullos semper in terrestribus, & maritimis prælijs exercuit, vt eorum virtus, & christianæ reip. quandoq; saluti, huic autem prouinciæ præsidio foret, & ornamento. Neque cogitationes eius tantum ad proprium imperium tuendum prospiciebant, sed multæ curæ animum simul angebant. Siquidem animaduertebat temp. christianam nutantem, eique Turcarum potentiam ex hac parte, ex altera impiorum hominum perfidiam imminere: Italiam, licet diuturna, neque interrupta pace, floresc entem, maiorum tamen in ea Principum diffidentibus animis, parum abesse, quin multiplici, ancipitiq; bello conflagraret, Gallias christiani nominis robora, ciuilibus dissidijs diuulsas, misere a suismet incolis dilaniari, Pannoniam, & Germaniam, fortissima contra communes hostes, Italiæ, & Romanæ Ecclesiæ propugnacula, à Turcarum Tyranno innumeris metuendisq; copijs oppugnari: Nam Amurates III. Turcarum Rex multis, præclarisq; victoriis elatus, quas contra Persas obtinuerat Armenia, Mediaq; iam magna ex parte subacta, atque in ipsa Persidis Regia validis impositis præsidijs, Oriente edomito Occidentem affectabat: Cum illi christianorum Principum dissidia, & admirabilis Ottomannici imperij fœlicitas, cui orbis vniuersi debitum imperium asserebat, animum adderent. Quamobrem

brem cum Persis maiorum annorum pestis indueta, simul terra, marique validissimis classibus instructis, & terrestribus undique comparatis copiis Europæ atrox bellum minitabatur, Pannonia, & Italia terrestri illa, hæc navali prælio petebantur. Omnium de repente perculsis animis, quas copias, quos exercitus comparari adversum potentissimum hostem, quibusque viribus resisti posset ab omnibus quærebatur, præsertim qui proximi periculo erant, sibi maxime cavebant, auxilia undequaque evocabant: inter quos Rodulphus Cæsar Augustissimus, cujus imperio atrocis illa procella imminebat; orabat, obsecrabat christianos principes, ne paterentur immanem hostem in dies spoliis nostris augeri, sanguine cruentari, & nullum non amplius in Cæspitis latebris, aut in ultimis terrarum oris, sed in ipsa Europæ luce debacchari, nostrisque cervicibus immineri. Non Pannoniam, non Austriam tantorum apparatuum, bellorumque propositum finem, majora animo Barbarum agitare, Italiam, Romam ipsam, religionis, & imperii arcem concupiscere: Neque tanta insanire sperare, si christianorum socordiam, si immensas vires, quibus Catholicus orbis impar videtur, considerent. Periculum est, ne, dum impedientibus cupiditatibus omnes in commune non consulunt, & singuli proprium discrimen expectant, universi aliquando ab hoc grani incendio corripiantur. Quamobrem omnes communi saluti pari animo subvenirent, junctisque simul viribus, imminentem cladem propellerent: prospiceret, quantum maris, terræque impura gens, & quondam suum ac proprium agrum, quem incolerat, penitus sueta, in ulteriores ex Asiæ latebris, primum Asiam ipsam, ex Asia Græciam, ex Græcia Pannoniam occupasse, nunc ex Pannonia de Germania, & Italia impudenter cogitare, & orbis terrarum imperium, non amplius spe, & votis, sed re, & armis appe-

tute. Quæ monita prudentissimi Cæsaris FERDINANDI animo penitus infodere; cædebat illum antea zelus domus Dei, ecclesiæ scilicet, angebatur, dum prospiceret adeò impune illi Barbaros insultare, vt nemo illo verius, cum Dauide dicere potuerit: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam?*. Quotidie eius animo obuersabantur præteritæ clades, Græcia subacta, domitus oriens, regnaque nobis debita, terræq; à Romano imperio diuulsæ, in quas impura gens, dum ignauiæ nostræ illudit, inuaserat. Vnde nihil habuit antiquius, quam opibus, armis copijs, & quibuscunq, rebus poterat Romani imperij, & christianæ reip. dignitatem, salutemq; defendere. Missus igitur in Pannoniam Ioanne Fratre, consilio & armis acerrimo, & duobus lectissimis & ornatissimis Nepotibus, cum valida peditum cohorte, omnibus ostendit, quantum Cæsaris honos & christianorum omnium salus, & libertas sibi cordi esset, nec non fratris, duorumq, Nepotum virtus, & copiarum robur ostendere, magnum momentum FERDINANDI auxilia perichitantibus rebus ad obtundendam Barbarorum audaciam fuisse. Nam cum Turcæ postea Mahumetho III. imperante, qui patrem Amorathin imperium, & audaciam successerat, Iaurinum Oppidum aggrederentur (vt ianua illa effracta, tota postea illis Austria pateret) eius defensio Etruscis quoq, militibus a Cæsare demãdata est quorum virtus in illa vrbe defendenda maximè enituit, & nisi aliorum perfidia obstitisset, sicut egregie defensa, ita seruati oppidi honos, apud nos remansisset. Sed hæc posteritati commendare alterius erunt curæ, nos ad FERDINANDVM redeamus, qui non minori antea animo naualibus copijs Italiam defenderat; Etenim cum classis Turcarum centum ferè triremium ad Italiam inflamma eo studio raperetur, & quocunq; appelleret, vrbium

euersionem,

brem cum Persis multorum annorum pactis inducis, simul terra, marique validissimis classibus instructis, & terrestribus vndique comparatis copijs Europæ atrox bellum minitabatur, Pannonia, & Italia, terrestri illa, hac nauali praelio petebantur. Omnium de repente perculsis animis, quas copias, quos exercitus comparari aduersum potentissimum hostem, quibusque viribus resisti posset ab omnibus quærebatur; præsertim qui proximi periculo erant, sibi maxime cauebant, auxilia vndequaque euocabant: inter quos Rodulphus Cæsar Augustissimus, quos in pectore atrox illa procella immanebat; orabat, obsecrabat christianos principes, ne paterentur immanem hostem in dies spoliis nostris augeri, sanguine cruentari, & multum non amplius in Caspijs latebris, aut in vltimis terrarum oris, sed in ipsa Europæ luce debacchari, nostrisque cernicibus immineri. Non Pannoniam, non Austriam tantorum apparatuum, bellorumque propositum finem, maiora animo Barbarum agitare, Italiam, Romam ipsam, religionis, & imperij arcem concupiscere: Neque tanta inaniter sperare, si christianorum socordiam, si immensas vires, quibus Catholicus orbis impar videtur, considerent. Periculum est ne, dum impedientibus cupiditatibus omnes in commune non consulunt, & singuli proprium dispendium expectant, vniuersi aliquando ab hoc graui incendio corripiantur. Quamobrem omnes communem salutem pari animo subuenirent, iunctisque simul viribus imminentem cladem propellerent: prospicerent, quantum maris, terræque impura gens, & quondam finem eius pro agro, quem incolerent, putare sueta, inuaserit: ex Asiæ latebris, primum Asiam ipsam, ex Asia Græciam, ex Græcia Pannoniam occupasse, nunc ex Pannonia de Germania, & Italia inuadenda cogitare, & orbis terræ imperiũ, non amplius spe, & votis, sed re, & armis appe-

tere.

tere. Quæ monita prudentissimi Cæsaris, Ferdinandi animo penitus infodere? exodebat illum antea zelus domus Dei, ecclesiæ scilicet, angebatur q; dum prospiceret adeo impune illi Barbaros insultare, vt nemo illo verius, cum Dauide dicere potuerit: *Nonne qui oderunt te Domine oderam; & super inimicos tuos tabescebam?*. Quotidie eius animo obuersabantur præteritæ clades, Græcia subacta, domitus oriens, regnaque nobis debita, terræq; à Romano imperio diuulsæ, in quas impura gens, dum ignauiæ nostræ illudit, inuaserat. Vnde nihil habuit antiquius, quam opibus, armis copijs, & quibuscunq; rebus poterat Romani imperij, & christianæ reip. dignitatem, salutemq; defendere. Missis igitur in Pannoniam Ioanne Fratre, consilio & armis acerrimo, & duobus lectissimis & ornatissimis Nepotibus, cum valida peditum cohorte, omnibus ostendit, quantum Cęsaris honos & christianorum omnium salus, & libertas sibi cordi esset, nec non fratris, duorumq; Nepotum virtus, & copiarum robur ostendere, magnum momentum FERDINANDI auxilia perichitantibus rebus ad obtundendam Barbarorum audaciam fuisse. Nam cum Turcę postea Mahumetho III. imperante, qui patrem Amorathi in imperium, & audaciam successerat, Iaurinum Oppidum aggrederentur (vt ianua illa effracta, tota postea illis Austria pateret) eius defensio Etruscis quoq; militibus a Cæsare de mãdata est quorum virtus in illa vrbe defendenda maximè enituit, & nisi aliorum perfidia obstitisset, sicut egregie defensa, ita seruati oppidi honos, apud nos remansisset. Sed hęc posteritati commendare alterius erunt curæ, nos ad FERDINANDVM redeamus, qui non minori antea animo naualibus copijs Italiam defenderat; Etenim cum classis Turcarum centum ferè triremium ad Italiam inflammato studio raperetur, & quocunq; appelleret, vrbium

euersionem,

euersionem, & funestam incolarum cladem minaretur, ille Tyrrhænum mare valida classe, oppida firmissimis præsidijs adornauit, vt non modò Barbaros non videant, sed ne paululum quidem timuerint. Quantum igitur in optimi Principis solertia præsidij sit, ex aliorum calamitate tunc præcipue Etruria didicit, & omnes nostri maris oppida didicere. Nam Barbara classis, vbi terram tetigit, infandæ crudelitatis exempla edidit. Incolæ præclarissimæ Italiæ Vrbes, non sacra, non profana loca victoris iram arcebant, cum immanis baccata crudelitas, quæ ferro excindi non poterant, flammis consumpsit, neq; in viuos modo sæuierat, sed vel in ipsa defunctorum corpora insignem crudelitatem exercebat, & quos natura bellorum discrimini iampridem abstulerat, Barbarorum feritas in ipsis visceribus terræ insectata est. O verè fortunatam Etruriã, imperante FERDINANDO, quam Barbari, non modo inuadere non ausi sunt, sed ab eius littoribus, tanquam à Scylla, aut Charybdi aliqua, quæ illis certam afferret perniciem, aufugerint, atq; in alias terras clades tam infandas, tam inauditam immanitatem asportauerint. Hinc nunquam captiuorum agmina abducta, non coniuges à virorum amplexu, nõ virgines è sinu parentum abstractæ, & aut miserè obtruncatæ, aut in seruitutem, quæ est ingenuis hominibus morte miserior, redactæ. Neque propriæ regionis cura FERDINANDVM impediuit, quin christianorum omnium tutelam gereret, & patrocinium, & ab eorum finibus impuros, & immanes hostes arceret. Testis est, Pannonia, quoties graui, ancipitiq; bello oppressa ab eo militum copias, fortissima aduersus Barbaros præsidia, obtinuerit. Testis Dacia, cum e seruitutis iugo se se eripere conata est, quantum in FERDINANDI liberalitate auxilij, in Etruscorum militum virtute roboris ad resistendum Barbaris habuerit. Misit enim illuc

Siluium

Siluium Piccolomineum, acerrimum virum, cum fortissima equitum manu, qui Sigismundum Principem ad illa præclara facinora perficienda, quæ animo agitaret, hortaretur, illumq; adauim imperij decus,& populis dignam libertatem à Barbaris extorquendam, animaret, consilio, manuq; adesset. Cuius virtutem quantum ipse fideret, optimi, charissimiq, filij postea cura demandata satis, superq; ostendit. Testis Græcia, cuius gentibus ad recuperandam libertatem à FERDINANDO spes ostensa, arma, & auxilia suppeditata sunt, ad quam profecto exarsissent, si vlla apud ipsas priscæ virtutis vestigia restarent. Testis Italia, cuius maria à Prædonum potestate erepta sunt, innocentium salus,& libertas, aut seruata, aut restituta à potentissimi Principis virtute, & potentia est. Testes Christiani orbis gentes, nationes omnes, cum ingens ex illis hominum multitudo ab infelici Barbarorum ergastulo FERDINANDI armis liberata, tertas omnes tanti Principis gloria, pietatisq; laudibus impleuerit. Cuius gloriæ cupiditate incensus, illam maculam delere, quæ inuetetauit, ac penitus insedit in christiano nomine cupiebat, quòd nos, quorum maiores quondam orbis terrarum imperium renuerunt, non modò illatas nobis à Barbaris clades non vlciscimur, sed ita cum ipsis semper pugnamus, vt illi de imperio,& gloria nobiscum, nos cum illis de salute,& vita dimicemus. Quamobrem cum terrestribus copijs illos pro voluntate oppugnare nequiret, validis Classibus adornatis Ottomannum imperium, nunc in Asia, nunc in Africa aggrediebatur, & modò has, modò illas arces expugnando, eorum infregit audaciam, opinionemque attriuit: Principes alios admonuit, non militum multitudinem, sed virtutem, non potentiam magis, quam animi fortitudinem pollere, oppida excindere, arq, hostes superare. Quibus expeditionibus effecit, vt Turcæ non mo-

dò animo, inueteratq; caderent audacia, sed dum singula oppida, insulasq; præsidijs exornant, multisque vastissimos imperij fines tuentur, ne Pannoniam, reliquasq; christianorum prouincias inuaderent, cum de tuendis propriis finibus sollicitè, spes alias omitterent. Hinc ortam potissimum multi existimant pacem, qua nunc christianæ gentes fruuntur, hinc Barbaris fractam audaciam, viresq; debilitatas, qui æquas pacis conditiones modo Rodulpho Cæsari obtulerunt, & christianorum virtutem ex FERDINANDI vnius virtute, & potentia didicêre; timebãt enim, ne his bellis, & maritimis expeditionibus ad audendũ, & bene de christianorũ virtute & felicitate sperandum, quasi signum aliquod reliquis Europæ Regibus, & principibus sustulisset. Proh Deus immortalis, quantam vnius Principis virtus, sapientiaq; lucem, felicitatemq; Etruriæ, & vniuersæ reip. attulit, vt nos, qui terras antea impuris, & facinorosis hominibus obsessas, maria Prædonibus infestata habebamus, nunc nullum intra mare nostrum Piratam audiamus, nullas in terris, nullas in mare insidias timeamus, immo pace tuta omnia, & composita habentes, non Etruriam modò, sed Italiam quoque FERDINANDI virtute recreatam, & miseris omnibus releuatam videamus: non alia scilicet ratione sol ille, cum oritur, ex vnica Cœli regione, cœlum, terrasq; irradiat, qua FERDINANDI lux, atque virtus ex Etruria vniuersum prope terrarum orbem illustrauit. Quanti autem terroris illius arma christiani nominis hostibus fuerint; Testis Asia, quæ toties suas arces incensas, captos incolas, disiectas classes ingemuit. Testis Africa, quę nuper ex Italia vetustæ virtutis exempla, expugnatæq; Hipponis incendia exhorruit. Testes omnes insulæ, omnes hostium portus, Barbaria denique testis vniuersa, quæ fortissimis præsidijs munita aduersus ingruentes FERDINANDI vires,

in.

in summo, perpetuoq; metu egit. Testes eandem omnes, qui per bosce annos hostium mare nauigarunt qui sibi vitæ, ac libertatis, & fortunæ periculum immuere, quasi nobis clades, antea inferre solebant, vnius Ferdinandi virtute in ipsorum capita recidere pernicieq; quam nobis machinabantur, in semetipsos aliquando irruentem senserunt. Tyrannus ille, cuius spiritus fastusq; non Asia, non Europa capiebat, quique armis, & bella ostendendo orbem terrarum concutiebat, nuncquam graues iniurias inultas reliquit quotidieq; passus est sua oppida diripi arces inflammari, classes in turpem fugam conjici, aut in seruitutem redigi. Quin etiam Mauuerches Il Legnanus Anconatis pater, adeo Etruscam virtutem exhorrebat, Ferdinandi quo nomine commouebatur, de quo a suis Ducibus, ex Pannonia reuertis, multa praedicari audierat vt vltro illi legatum miserit ad pacem petendam & amicitiã in eundam. Quę Ottomannici fastus, maiestatisq; insolitos Ferdinandi nomini summam afferuit gloriam. Sed quæ cum Barbaris amicitia esse poterat illi, qui Barbaros tantum hostis erat? Quæ voluptas proponi, quę ab eo immortali solidaq; gloria quam in persequendis Christo hostibus collocabat praferretur? Quotes Auditores religiosissimum Principem, ita secum locutum arbitramini? Ego tetenimis, ac mouentibus vtar pietatis hostibus bellum non inferam, &, si quando vt volo, non licet, saltem quomodo possim Christi iniurias non vlciscar? Ego vnq; eadem cum procul à meis finibus sint non sentiam, eorum illis commouear & perturbus vindex? Praclaram scilicet gratiam Regi te gi referrem qui me in vrbe celsissimo Patris solio collocauit, qui mihi imperium, tot mensas diuinas pulcherrimam sobolem admirabilem fœlicitatem largitus est, qui de suis, ac meis hostibus praclaras quotidie victo

sias tribuit. Sint, sint, hostes Dei exercituum Fa r n a-
nanne hostes, & quos Dominus odit, ego nunquam di
ligam. En, erit vnquam illa dies, qua positis inter nos
dissidiis, Europæ aliquando pacis, & serenitatis lux ali-
qua effulgeat, quaq; copijs, vna cum animis iunctis, ter
ram illam ex impuræ belluę faucibus extorqueamus,
quæ Redemptorem omnium è Cœlo delapsum, & san-
ctissimæ matris vtero mirabiliter prodeuntem excepit;
Terram, inquam, illam, in qua nobilissimæ Coniugis
maiores, & communium filiorum Aui fortissimè re-
gnarunt. Hæc, & huiusmodi, dum optimi Principis
animo obuersatentur, in causa fuerunt, vt oblatam
amicitiam respueret, memorabileq; illud postea dice-
ret, nullam sibi cum christiani nominis hostibus ami-
tiam, nullum amoris, ac fidei vinculum esse posse. Iu-
stitiam incoercendis flagitijs, virtutemq; in prauis ho
minibus, quietisque perturbatoribus exterminandis,
Archipiratis, & Barbaris vbiq; terrarum persequendis
audiuistis. Restat nunc, vt prudentiam in imperio ad-
ministrando, reliquasq, insignes Fe r d i n a n d i virtu-
tes inspiciamus: quæ si in illa senatoria vigilia, quasi
in arce quadam constitutæ, summæ, præclaræque ocu-
lis omnium apparuerunt, regnum postea, quasi latio-
rem, quo excurrerent campum nactæ terras omnes
splendore, & Fa r n e s i a n d i nominis gloria, fama-
que implerunt. Optimum, pulcherrimumque opus
esse hominibus recte imperare, iure respondit, ma-
ximus ille Persarum Imperator, siquidem rerum om-
nium arbitriũ, summamq; potestatem fortunę subiectam
esse, nemo ignorat, magnisq; laudibus dignos qui in sum
mæ fortunę fastigio, ita regesserint, vt non magis legum
vinculis, & poenarum metu, quam vitæ exemplo, cæte-
ris viuendi normam præscripserint. Nanq; mortali-
bus nihil intolerabilius est, quam cum aliorum vitæ ne-

gligentia

tionem exigere, qui non possit suæ reddere, neque alios potest continere, qui se ipsum non continet, nec severus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices, non sustinet. Quamobrem ille cum primum regni potitus est, pravis hominibus, tum morum exemplo, tum pœnæ formidine, audaciam infregit, bonos præmiis, & honore, quem virtuti tribuebat, alacriores reddidit, vt illi pœnarum timore, hi amore virtutis peccata horrerent. Cumq; duplex sit optimi Principis cura, vna quæ Ciuium quietem, felicitatem reip parat, altera quæ externa respicit, prouideq, ne composita turbentur, & vt Polybius monet, ne cuiusquam potētia ita augeatur, vt postea in te quæcunque animo collibuerint efficiat, Omnia summa prudentia adsecutus est Ferdinandvs, cum se subiectorum patrem agnosceret; quæq; Eruriæ Principis partes essent, non ignoraret; huc spectabat incorruptæ iustitiæ vsus, quo ius suum vnicuique tribuebatur, neque scelerи vitio, neque virtuti præmium decrat. Nobiles viros in magno honore semper habuit, nobilitatemque virtuti adiunctam, veram, perfectamq, nobilitatem asserebat. Senatus, maiestatem, reliquorumque magistratuum authoritatem, non solum seruauit, sed auxit, neque ab eorum sententia vllam ad se prouocationem admittebat. Si qui precibus, aut assentationibus, ab eo aliquid contra leges, & Ciuitatis instituta extorquere conarētur, affirmantes principem, non infra, sed supra leges esse, respondebat, se legum, & iusti custodem esse, neque sibi fas à sacrosancta legum authoritate, vel à sapientissimis maiorum institutis discedere. Plebis salus & mediocrium hominum cura, quantum illi cordi fuerint, omnes scimus, nullæ etenim à potentioribus iniuriæ, illo regnante, ortæ sunt, quæ non, acriter vindicatę, huiusmodi hominum insolentiam, & audaciam repressernt. Quod si Anglia Gu-

lhelmum illum suum extollebat, quia non falso iactaret, se Rege. Puellam auro onustam, tuto Britanniam posse peragere. Etruria quoque FERDINANDVM in Cœlum laudibus efferat, quo Principe, æqua fuit omnibus libertas, atque securitas. Nec non omnibus aliis anteponatur illa in populis pascendis cura, diligentiaq; cum, & nostræ regionis sterilitati, & annonæ penuriæ, frumentis, ex aliis terrarum partibus conuehendis obuiam iuerit, ipsamq; rerum naturam quodammodo superauerit; Sicilia enim, & fœliciores Italiæ regiones, quæ antea nostris necessitatibus abunde subueniebant, sæpius à Principe nostro vitæ subsidia impetrarunt. Huc prospiciebant, paludes exiccatæ, lacus deducti, & magna imperii pars, quæ incolis aucta magnis sumptibus antiquæ frequentiæ, & culturæ restituta est. Ex hoc paterno in subiectos populos amore, ceù ex immensa luce radius oriebatur regia magnificentia, quæ tandiù gentium literis, monumentisq; celebrabitur, quandiu constructæ, edificatæq; stabunt moles, templa, arces, portus, vrbes, quæ ab illo, & ad imperii firmamentum, Regionis pulchritudinem, incolarum commoditatem, & ad inopem Plebem sustinendam construebantur, vt sic vna, eademq; opera regni ornamento, & securitati, atque populorum frequentiæ consuleret. De qua virtute parum saperem, Auditores, si multa, vt illa exigit, verba facerem, cum præclara FERDINANDI opera, oculis omnium exposita, quam magna illa fuerit, testentur. Sit clarus Augustus ille Caesar, qui Romanam vrbem, quam lateritiam acceperat marmoream se reliquisse asserebat, dum FERDINANDI quoque nomen immortalitate vigeat, qui Etruriam arcibus, & portibus munitam, & populis auctam, vrbes signis, statuis, & templis, ex pulchris, quas acceperat, pulcherrimas reliquit. Sit in æterna fama Pericles, cuius liberalitate, & magnificentia,

stentis pulchriores facta sint Athenæ, qui pecuniæ à hellorum vibus ad nobilissimę cumulis ornamentis ornarunt, ubi profectò Fabianorum quoqua gloriæ locus, cuius exliberalitate & vi habita ornamenta & bellas pro communi libertate susceptos subsidia prodierunt. Neque minor est plenitudo Dauni, quam examore in templ Fabianorum magnificentia Innotuit, vt autem illud, & pulcherrimum templum testatur, quo Etruscorum Principum ossa recondi iussit, autus maeper gloriam Fabianorum suorum tribuit, perfecti absolutique filio reseruauit, vt equalis virtus quæ posterum in Deum & maiores pietas commendatur nec non augusta templi Liburni à fundamentis erecta & pretiosis donaria non solum Florentiæ Romæ, & Laureti posita, sed Hierosolymę anam pietatem & magnificentiam eius omnibus gaorthus omnibus locis claras, testatasque reddidarunt. Quæ magnificentia in templis, & publicis ædificijs extructis & ludis spectaculis populo exhibendis, non exhaustibus & rapinis vi à Tyranois, & iniquis Principibus solet, sed alienis primata parsimonia sustentabatur, aut ipse in domesticis sumptibus parcus, laudabilem illam Ciuitatis nostræ frugalitatem imitandam Ciuibus suis proponaret & ragiam Florentinorum animi magnificentiam vt Florentinorum Principem decebat, quando sua & Ciuitatis maiestas requirebat, exercabat. Erenim prudentissimus Princeps non ignorabat Aeranom illud quod per ambitionem exhauritur per sudores sepius compleri vnde publicis reditibus contentus superfluis tantum sumptibus ampitatis, qui fastum quandam præseferent ad publicos vsus pecuniam reseruabat nella deficienta Ciues suos oneribus aut atq; aerumnis premere cogeretur. Cura autem illustrandæ Italiæ pace, & dignitate, nulla temporis mutua, nulla posteritatis oblitione delebitur nisi qua.

si qua in parte dissidia, aut belli suspiciones oriebantur prudentia intus occurrebat, & ne latius malum serperet, consilio, & authoritate prouidebat, cum sciret omne malum nascens facile opprimi, inueteratum fieri robustius. Id illi facile erat, cum apud omnes mortales magnam prudentiæ famam, atque opinionem adeptus summos christiani orbis Principes, aut affinitate, aut virtutis amore, officiisq; sibi deuinxisset. Quibus rebus magnam sibi comparauit authoritatem, quæ in bellis administrandis, fœderibus sanciendis, & imperiis regendis, plurimum prodest Principi, nam ad hæc agenda vehementer pertinet, quid hostes, quid socii, quid amici, quid subiecti de principibus existiment, cum homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut diligant, opinione non minus famæ, quam aliqua certa ratione commoueantur. Maximos Reges, propriæ dignitatis memor honorabat, in bellis, quæ iusta iudicarer, & pro rep susceptа, auro, & milite iuuabat. In cæteris verò rebus, se non tam Etruriæ Principem, quam Italicæ libertatis, maiestatisq, vindicem profitebatur, illam non minori alacritate armis & potentia defensurus, si externa vis ingrueret, quam pacem illius præ cæteris seruasset, ac dilexisset: Ita, vt, sicut Laurentio quondam Medici, eiusq; prudentiæ aureum illud Italiæ seculum maiores nostri acceptum referebant, nos quoque tantam temporum nostrorum fœlicitatem FERDINANDI virtuti asscribamus. His igitur rebus, ad summum existimationis, famæq; apicem peruenit, vt alii illum prudentissimum Principem dicerent, alii Italiæ ornamentum & columen, vnum illum omnes prædicarent christianæ reip præsidium, Barbaris metum, atque terrorem, vnum posse, si in Italiam iterum Barbari irruerent, comuni libertati subuenire, qui instructis classibus, coacceruatis pecuniis, innumeris, & expe-

ditis,

dita nihilibus abundaret. Quamobrem potentissimi Reges & Principes certatim Principis nostri amicitiam appetebant, eiusq; affinitatem flagrantissime optabant. Henricus III Galliæ atque Poloniæ Rex Christianissimus & prudentissimus, cum primum regnum FERDINANDO adeptum audiit, Christianam illi ex sorore neptem despondit, quæ præterregii sanguinis splendorem, inter maiores suos habet Carolum illum Imperatorem, cognomento magnum — Godfredumque Hierosolimæ liberatorem, & Regem; Prouidebat enim prudentissimus Rex tanti Principis affinitatem, & sibi ornamento, & auxilio, ac pene cum prostrata Galliæ rebus subsidio fore. Cum qua lætissime & omnibus virtutibus ornatissima Muliere quem conferret, & suauiter vixerit quamuis in rebus omnibus illius prudentiæ & virtuti tribuerit præterea cum hoc omnia sint luce clariora. Neque Lucia illa Augusta hæreditarum ornamentum Octauiano Cæsari in imperio, & in tribubus æquisq; sociis magis fuit, quam Christiana FERDINANDO; Videtur ex hoc quoque numero omnibus perfecta & absoluta potestas eius fœlicitas existimari tandem affinitate deuinxit se se cum FERDINANDO alter Henricus Galliæ & Nauarræ Rex, virtute fortunæ, gloria, rebus gestis amplissimus qui cum propria virtute, & FERDINANDI consilio, ciuibus discordiis diuulsum Galliarum regnum tandem composuisset cupiret, liberosq; suscipere quo firmioribus, pluribusue Galliæ pax, ac quies valeret præsidiis stabilita, æternaq; foret; non ex alia, quam ex FERDINANDI domo coniugem eligere voluit eos amicitia, affinitate adiuncta, firmiori fieret, & ex materna quoque stirpe exempla domesticæ gloriæ tanto imperii huius decori traheret Maria igitur FERDINANDI ex fratre neptem in vxorem ducta iterum Gallias Medicæ virtutis splendore illustrauit: Rodulphus Cæsar insuper, &

Philippus. III. Hiſpaniarum Rex verè Catholicus, & potentiſſimus, MARIAM MAGDALENAM Auſtriæ Archiducem, Auguſtam, & ſanctiſſimam mulierem artiſſimo ſanguinis, & affinitatis vinculo vtriq; iunctam Coſmo filio deſponderunt, certiſſimum erga Patrem voluntatis, beneuolentiæq; ſignũ dedere. Quę ſummorum Principum iudicia, ſummus ille Regum omnium Rex, & arbiter Deus comprobauit, clariſq; argumentis oſtendit, Principes ſibi præcipuę curæ eſſe qui ipſum piè colant, viceſq; ſuas in tertis iuſtitia, & clementia, omnibuſue aliis diuinis virtutibus gerere videantur; Ex vxore .n. illi pulcherrimam ſobolem tribuit, cui, ipſo mortalitatem exuto, Etruria inniteretur, & ex Chriſtianiſſima Regina tres Pronepotes, quos antequam ex hac vita diſcederet in amplißimi imperii ſpem ortos vidit. Neque aliud reliquum fœlicitati erat, quam vt filii nuptiis conſtituta Domo, cuius tanta affinitate maieſtatem auxerat, eiq, propria virtute ſtabiliori, firmioriq; reddito imperio, Barbaris, & hoſtibus multis, clariſq; victoriis repreſſis, & Maximis Regibus amicitiæ & ſanguinis vinculo obſtrictis, pro tot ſuſceptis laboribus immortalitatis præmium, pro hac fœlicitate, qua optimè in terris vſus erat, perpetuam illam, cœleſtem, diuinamq; reciperet. In ſumma igitur fœlicitate conſtitutus, ſummamque apud omnes mortales ex prudentia, aliiſq; diuinis virtutibus famam, & exiſtimationem adeptus, Deo optimo max., vt conijcere licet, gratiſſimus, de Patria, de Filiis, de Italia, de Chriſtiana rep denique de mortalibus omnibus optimè meritus, poſtquam ſatis ſibi, ſatis gloriæ vixiſſet in Cœlum euolauit. O beatam vitam quæ tali morte concluſa eſt, fœliciſſimam mortem, quæ longioris vitæ principium dedit. Tibi quidem, ò verè maxime & immortalis FERDINANDE fœlix & fauſta mors fuit, cum iſtius vitæ, quam nunc in Cœlis perpetuam obtines, initium fuerit. ſed ab is in-

nibus acerba, & luctuosa. Tu enim satis gloriæ vixeras, satis forsan naturæ sed quidem optimis Filiis, lectissimæ Conjugi, Etruriæ populis, & Christianæ reip. minimũ vixisti. Tua enim vita nostra quodammodo omnium vita, pax, & securitas erat Quid ex te, & ex præclarissimis tuis virtutibus, nisi charissimis Filiis honos, & amplitudo, optimæ Conjugi solatium, Patriæ splendor, Etruriæ securitas, fidissimis populis quies, Italiæ ornamentum, & Christianæ reip. spes, & lux aliqua oriretur? Quid res, quas tu gerebas, nisi omnium Civium salutem, cunctamq; rempublicam complectebantur? Quæ omnia tecum extincta, nunc multis lacrimis deploratem, sed tu ita vixisti, vt, quemadmodum sol, postquam occiderit, lucem aliquam post se relinquit, ita virtutum tuarum lumen, ac splendor tenebras nostras irradiare, atq; illustrare videantur: spesq; nos pulcherrima fouet, immortales tuæ virtutis fructus huic patriæ, atq; imperio fore; ea enim optimi filii, & successoris tui in te est pietas, vt præceptorum tuorum memorem, illum tuis vestigiis inhærentem nobis semper spondeat, eadem in te illius perpetua, sanctissimaq; pietas, & spectata probitas paternum Fratribus animum sereniss. Parenti obsequium, Patriæ charitatem, Italiæ curam, Christianæ reip. defensionem, illumq; tui simillimum nobis & mortalibus omnibus pollicentur. Faxit, faxit Deus ille Optimus Max. cuius beatissimo, nunc lætaris (vt remur) aspectu, vt Cosmus II. Magnus Dux Etruriæ quem imperii tui, & virtutum omnium hæredem prospicimus, sit etiam hæres felicitatis, vt nos illo diu, summa cum authoritate prudenter, ac feliciter imperante fruamur, & FERDINANDI erepti desiderium Cosmi virtute lenientes, perpetuam Mediceæ Domus, & Patriæ nostræ gloriam admiremur.

Ego Frater Vincentius Ciuitella ex Superiorum commissione legi hanc orationem admodum Reuerendi Domini Cosmi Minerbetti, & eam impressione dignam iudico, ob id propria manu subscripsi.

Attenta relatione præmissa eamdem orationem imprimendi Florentiæ facultatem impertimur ordinibus consuetis seruatis. secunda Aprilis 1609.

Petrus Nicolinus Vic. Generalis Florentinus.

Frater Cornelius Florentinus Inquisitor.
4. Aprilis 1609.

Scipio Naldius Auditor.

	Errata		*Sic corrige.*
Pag. 2.	vers. 18.	femina	femina.
3.	vers. 23	que	que.
4.	vers. 24.	edisse	odisse.
5	vers 11.	nechigere	negligere.
10.	vers. 1.	enim	enim
23.	vers. 5.	dimanare	dimanare.
27.	vers 28.	caldea	cladea.
31.	vers. 23.	templa	templa
35.	vers. 9.	ocurrit	occurrit.

5851291